





44

cf. Vt. 6

276

PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**IO. ANDREAS  
PLANERV<sup>S</sup>  
SVPERIORVM MATHEMA  
TVM PROFESSOR PVBLICVS  
CIVIBVS ACADEMICIS  
S P D**



24

**C**Ogitanti mihi nunc, ut fit in magnis bonorum detrimen-  
tis, acrius, et memoria meum ipsius sensum repetenti, hoc  
grauius pro concione animum commouisse uidetur IO· HI  
ERONYMVS DE VEDIG, quo diligentius id, quod  
Timotheo preeceperat diuinus Paullus, paeclaro uitiae sanctioris  
instituto exprimere studuit, ut et sibi, et doctrinae, attenderet, at-  
que in hac se, aliosque, seruandi cura assidue uersareretur. Ac fu-  
turum erat, eratque iam tempus illud, cum aliqui salutaris discipli-  
nae paestantiam amplissimis uerbis laudarent, factis autem, que-  
abhorrerent a dictis, dedecorarent. quorum dissoluti mores quantum  
emendatione hominum fraudi essent, cum intelligeret coelestis  
sapientiae magister, iis prius castigatis, quid uerum, incorruptum  
que, deceat Theologum, demandata et uitae, et doctrinae, atten-  
tione, testatus est. Etsi enim doctrina, sine labe exposita, atque  
in animum demissa, neque integratatem, nec uim, diuinitus adiu-  
ctam, amittit, aut minuit, quamvis ab eis, quorum uiuenti ratio  
preeceptis non respondeat, afferatur, tamen facilius admittitur, a-  
nimoque comprehensa, minus dubie tenetur, et efficacius agendi  
studium parit, cum id, quod nobis suadetur, et quod studiose, nec  
sine concitatione animi ac persuasione, auditum est, non clarior  
uoce, quam exemplo, comprobatur. Auctor nobis est, in quo ac-  
quiescere debeamus, ipse Seruator, aeternae ueritatis interpres ipse  
eternus, ac uerissimus, qui fecit perinde, ac docuit, et utrumque,  
de se relatum, legi noluit, ut idem, quoad possent, imitarentur, qui  
eius instituta, gloriamque ad alios propagarent. Quare, cum in-  
sacrum hoc omnis perfectae laudis speculum pie, ac solicite, inspi-  
cere soleret IOANNES noster, summa ope contendebat, ut uiuum  
spiransque exemplum, quod non soli Timotheo, sed cunctis, pari  
munere functuris, imperatum erat, in uerbo, ut loquitur Paullus,  
in consuetudine, in caritate, in spiritu, in fide, in castitate prode-  
ret, innixus paecipue in fundamento, atque exercitatione, pieta-  
tis, Deo coniunctae, quae cum ad omnia, tum hic ad excitandas,  
alendas, et augendas, summas quasque virtutes maxime conductit.  
Cum autem in docendo duo potissimum spectari oporteat, ut et  
fana sinceraque sit institutio, et ad eorum, qui audiunt, usum in-  
telligentiamque accommodata, cupide elaborabat ille, ut uerba,  
quae faceret, ex imitatione doctoris, sine exemplo maximi, uitam,  
spiritumque diuinae mentis promerent, et cuncta, quae differeret,  
religi-

religiosa, ac multarum saepius horarum; ut ipse quidem fatebatur,  
anxia, commentatione subacta, partite descripta, proprie, mature,  
electe, uerecunde in primis, ac neroſe, enunciata, tam captui au-  
ditorum, commotionique, quam memoriae, subservirent. Qui-  
bus rebus factum est, ut nunquam in conciohem ascenderet, quin  
ipso sui aspectu expectationem audiendi concitaret, nunquam di-  
ceret, quin, uti uellet, varie afficeret animos ac flecteret, nunquam  
de statione decederet, quin tantum emendatos dimitteret auditores,  
quantum, relictis in intimo sensu aculeis, permotos. Virum  
tam bene meritum debemus Halis Saxonum, natum in urbe, par-  
tu ingeniorum non ignobili, A. 1515 CLXV, xi Kl Septembri, no-  
bili, et perantiqua, quae Belgio Hispanico, sacerorum cauſa, cefſit,  
gente, patre nobilissimo, et consultissimo, THOMA, matre uero  
CATHARINA, egregio REVSNERII, quod in fastis nostris de-  
cus habet, nominis ornamento, quorum quidem parentum cura  
primum in domesticis, post in publicis, exquisitioribusque, uiro-  
rum, ingenio clarissimorum, Bergerorum, Kilingiorum, Drech-  
flerorum, Finciorum, Saalbachiorum, maxime Rothiorum, Prae-  
toriorumque, scholis eruditus, A. 1515 CLXXXV, vii Kl Quinctilis,  
Vitembergam concessit. Hic in uario scientiarum genere com-  
mentationibus eruditis, Zigræ, Hartschmidii, Roefchelii, Neu-  
manni, qui amplissimo Sapientum Ordini tum ascripti erant, prae-  
cipue uero, per celebri et arte, et solertia, uirorum, Kirchmaieri, Strau-  
chii, Roehrensei, Schurzfleischii, Donati, Dassouii, excultus, ma-  
iorumque more praeparatus, Bebelios, Quentstadios, Deutschman-  
nos, Mayeros, Loescheros, Valtheros, Hannecenios, summa et  
sanctitate, et sacrae interpretationis fama doctores, probitate, in-  
dustria, modestia, arctius sibi deuinxit, horumque bono, et fami-  
liari, consilio usus, diuina mysteria non maiori cupiditate, quam  
animi reverentia, in fontibus, non inquinatis, didicit, ac, quoad fa-  
cultas tulit, explorauit. Dignus igitur existimatus, qui non so-  
lum laurea Philosophica ornaretur, sed etiam, A. 1515 XC, inter-  
Ascriptos loco, quem pluribus, cultisque, exercitationum Acad-  
emicarum speciminibus obtainere studuerat, a Patribus nostris auge-  
retur, breui, cum nunquam se remitteret, sic eluxit, ut ad philoso-  
phiam, eloquentiamque, in Principali Augusteo tradendam, pu-  
blicis Leucopetram literis arcesseretur. Aegre dimissus, aliquanto  
post hoc rediit, ultimamque sacerdotii dignitatem consecutus,  
post,

post, crescente fortuna, ad primam euectus, et suscipiendo honoris  
Theologici ius solemini disputatione, arbitrio D<sup>r</sup> C<sup>o</sup> Loeschero,  
Theologo meritorum celebritate magno, sed meritis maiori, A  
c<sup>r</sup>c<sup>t</sup>o cccv, sibi afferuit, et semper cunctos sacerdotis emendatissi-  
mi numeros absoluuit. Vxorem duxit A<sup>r</sup> c<sup>r</sup>c<sup>t</sup>o xcii, uirginem for-  
ma pulcherrimam, sed animo pulchriorem, CHRISTINAM ELISABE-  
THAM, commendatissimis gentis ZIGRAE natalibus oriundam, e  
qua tres filios, et octo filias, procreauit, tres tamen liberos acerbo  
funere extulit, octo reliquos, in his duos filios, IO<sup>r</sup> HIERONY-  
MVM, et IO<sup>r</sup> SAMVELEM, ac sex filias, MARIAM CATHA-  
RINAM, IOANNAM CHRISTINAM, SALOMEN ELISABE-  
THAM, CHRISTINAM SOPHIAM, IOANNAM MARIAM, et IOAN-  
NAM REGINAM, omni, quae utrumque sexum ornet, uirtute im-  
buit, et paterna uoluntate, indulgentiaque fouit. Mortua tot li-  
berorum parente secundissima, et optima, moerorem animi solici-  
tudinemque tulit aliquandiu, sed A<sup>r</sup> c<sup>r</sup>c<sup>t</sup>o ccix mitigare instituit  
connubio, matronae exploratissimae et sanctimoniae, et prudentiae,  
ANNAE, ortu admodum decoro POMARIAE, quondam Io<sup>r</sup>Fa-  
bricio, bonis recordationibus dignissimo, cum hic eidem praesesset  
muneri, nuptiae, quamcum ex animi sententia uixit. Sed virum,,  
suis, nobisque omnibus, ob eximias uirtutes, multo carissimum,  
suo tamen amore dignorem reputauit Deus, necedum refecus omnino ex  
superiori morbo uiribus, aestu febrique, cuius uim praestantissimi Archia-  
tri, Bergerus, ac Vaterus, omni medendi consilio, ac fide, acriorem judica-  
runt, iactatum atque afflictum, ac prius sacro epulo a Collega reverenda  
sanctitatis, et dignitatis, M<sup>r</sup> Augusto Volfio, egregie confirmatum, XIV Kl  
Quincilis coelo repetit, ac, superatis temporum incommodis, lactum rece-  
pit. Decessit integris sensibus, eademque, qua uixerat, et quam docuerat,  
animi religione, sed nondum expleto anno aetatis septimo et quadragesimo,  
relicta in lqualore luctuque uxore et liberis, destituta bonorum, qui eum,  
recuperata ualeridine, maxime saluum uellent, spe, coque uulgo desidera-  
tus, et multis multorum lacrimis acerbissime comploratus. Quamquam  
tuos, CIVES, spectata, nullisque saeculi corruptelis contaminata, uiri cecora-  
ta adeo amaritis, et colauitis, ut uastro ducti uel amore, uel desiderio, nullo  
non honoris genere memoriam eius prosequandam ultro putetis, tamen  
propter legem grati animi, qua sacris illius laboribus, manibusque tenemur,  
admonendi estis, ut supremum ei officium diligenter facias, funusque, a  
meridie, H<sup>r</sup> I, in aedem Marianam dedicendum, frequencia uesta  
concelebretis. P<sup>r</sup> P<sup>r</sup>, in anniversario Ioannis sacro  
A<sup>r</sup> R<sup>r</sup> G<sup>r</sup> c<sup>r</sup>c<sup>t</sup>o ccii

Ung VI 3

10 18  
13 17



44

cf VI. 2

276

B.I.G.



DIRECTOR  
E VITEMBERGENSIS  
ANDREAS  
NERVS  
RVM MATHEMA  
PROFESSOR PVBLICVS  
S ACADEMICIS  
S. P. D